

ejus perstat in perpetuum. Memoriam fecit mirabilibus suis, gratiosus  
& misericors est Jehova. Psalm. CXI 1. f.

Augebitur a. apprimè hæc Nominis factorumque divino-  
rum celebratio, si scrutamur in specie Numinis nostri alias  
tremendi & Zelotis Justissimi incomparabilem longanimita-  
tem erga impios, ex qua longus & tardus irarum Exod. XXXIV. 6.  
per divitias bonitatis & patientia & longanimitatis ad pœnitentiam  
ducere tentat Rom. II. 4, & ineffabili μακροθυμία longanimis est  
erga eosdem, non volens quosdam perire, sed omnes ad pœnitentiam  
concedere 2. Petr. III. 9. ubi enim abundavit peccatum, ibi superabundat  
Dei gratia Rom. V. 20.

Colophonem citra dubium tandem attinget specialissima  
quæ circa pios vigilat providentia gratia & misericordia; Cum  
enim ipsi etiam Regenti legem velut Jugum ἀβάσκητον  
Act. XV. 10. ferre & implere nequeant, qui potius non tantum  
fomittem peccati Orig. habent Ps. LI. 7. sed & inde propullu-  
lantes infestissimos sentiunt motus Vid. Rom. VII. 14. s. quorum  
scelestia molimina ad ipsos usque malos hinc inde grassantur  
actus, nam caro concupiscit contra Spiritum & Spiritus contra carnem,  
& hæc adversantur invicem, ut non quæ vultis, ea faciatis Gal. V. 17.  
Adeò equidem, ut si dixerimus, peccatum non habemus. item: Non  
peccavimus, veritas non sit in nobis & Deum mendacem faciamus.  
1. Joh. I. 8. s. II. 1. f. Nihilominus tamen in his multifariis imbecil-  
litatibus gratia Dei, quæ magis exaltata, quam cœlum super terram  
Pl. CIII. 11. quæque finem nunquam habet Thren. III. 22. instaurat,  
stabilit, confortat fundatque nos 1. Petr. V. 10. ut custodiamur per fidem  
in salutem paratam, ibidemque hereditatem incorruptibilem & imma-  
culatam & immarcessibilem nanciscamur 1. Pet. I. 3. 4.

Quo majori igitur clementiâ & gratiæ suæ superabun-  
dantis immensissimo cumulo ὁ πατήρ τῶν ὀκτιπμῶν nostrum  
omnium miseretur & per verbum ac Sacramenta, divinissima  
ista salutis off- & conferendæ, quin confirmandæ & obsignandæ  
media in nobis operatur tam velle quam perficere pro beneplacito  
Philip. II 13. ut persuasi simus, quod, qui incepit in nobis opus bo-  
num, absoluturus quoque illud ipsum sit usque in diem Jesu Christi

Phi-